

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0539

Sabato 29.09.2001

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL IX CENTENARIO DELLA MORTE DI SAN BRUNO

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL IX CENTENARIO DELLA MORTE DI SAN BRUNO

Il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Carlo Maria Martini, S.I., Arcivescovo di Milano, Suo Inviato Speciale per la celebrazione del IX centenario della morte di San Bruno, fondatore dei Certosini, che avrà luogo a Serra San Bruno il 6 ottobre prossimo. Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale:

Venerabili Fratri Nostro
CAROLO MARIAE S.R.E. Cardinali MARTINI
Archiepiscopo Mediolanensi

Condignum solet catholica Ecclesia cultum Sanctis cunctis praestare iisque potissimum qui operibus insignibus animose sciteque vacaverunt, quique, bene de Ecclesia meriti, clara virtutum exhibuerunt exempla itemque flagranti permoti studio penitus se Deo consecrarunt Ecclesiaeque saluti. Inter hos quidem est annumerandus procul dubio Sanctus Bruno. Optima sane disciplina is praeditus et elegantia sermonis Latini locupletatus, multum contulit ad christianos mores vivendique rationes renovandas.

De huius caelitis nona iam appetit centenaria ab obitu memoria, mensis Octobris die VI eveniente, qui in ipso oppido quondam contigit quod deinceps eiusdem populare nomen "Serra S. Bruno" obtinuit. De mente minime excidit pastorale iter illud quod anno MCMLXXXIV ipsi ad perillustrem illum locum fecimus, Ordinem conditum Cartusiensem commemorantes. Quae antea diximus nuper Litteris mense Maio eidem Ordini inscriptis iteravimus, multum videlicet dignitatis praestantiaeque contemplationis consuetudinibus tribuentes eiusque sectoribus.

Quapropter libentes volentesque postulatis occurrere volumus Venerabilis Fratris Antonii Cantisani, Archiepiscopi Catacensis-Squillacensis, qui, eventus ille quo magnificentius ageretur, a Nobis petiit ut eminentem virum, animi Nostri interpretem, mitteremus. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, quem omnino parem iudicamus huic officio sustinendo, quippe qui inter Pastores magna praestes sollertia singularique doctrina. Itaque magnam aestimationem Nostram significantes, te *Missum Extraordinarium*

ad illum sacrum ritum agendum renuntiamus et constituimus.

Universis quidem huius commemorationis participibus cunctisque adstantibus Nostram cohortationem Nostramque benevolentiam ostendes, quibus Cartusianam illam familiam, totam Catacensem-Squillacensem communitatem complectimur. Ipsius Sancti Brunonis demum in omnes devocamus patrocinium, qui supernis beneficiis eosdem iuvare dignetur, ut inibi fideles sine cunctatione vel tarditate in iisdem atque ipse incurrant vestigiis. Benedictionem demum Nostram Apostolicam Nostro nomine impertias velimus, quae sit superni subsidii firmamentum et animorum renovationis incitamentum.

Ex Arce Gandulfiana, die XX mensis Septembris, anno Domini MMI, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01532-07.02] [Testo originale: Latino]
